DE

COMPRESSIONE

UT REMEDIO IN INFLAMMATIONIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XII. M. AUGUSTI A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Wilhelm

GUILELMUS AEMILIUS EUGENIUS STEIN

SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

C. SCHMIDT, MED. ET CHIR. DR.
R. WEBER, MED. ET CHIR. DR.
J. HELM, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI

TYPIS NAUCKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,
EXPERIENTISSIMO

J. C. JUENGKEN,

MED. ET CHIR. DOCTORI, PROFESSORI PUBL. ORDINARIO ET IN UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA ET IN ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA MILITARI, H. T. DECANO FACULTATIS MEDICAE MAXIME SPECTABILI, REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, ORDINIS REGII AQUILAE RUBRAE IN QUARTA CLASSE NEC NON ORDINIS LEOPOLDINI BELGICI EQUITI, REGIORUM INSTITUTORUM CLINICORUM ET CHIRURGICI ET OPHTHALMIATRICI IN CARITATIS NOSOCOMIO CONSTITUTORUM DIRECTORI, MEDICO DIRIGENTI IN CARITATIS NOSOCOMIO, MEDICO PRIMARIO REGII COECORUM INSTITUTI, COLLEGII SUPREMI EXAMINIBUS MEDICIS ET CHIRURGICIS HABENDIS CONSTITUTI SOCIO, SOCIETATUM MULTARUM LITTERARIARUM ET SOCIO HONORARIO ET SODALI,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. D.

AUCTOR.

DE

COMPRESSIONE

UT REMEDIO IN INFLAMMATIONIBUS.

Omnes de compressione observationes, perquam faustas et optimi successus plenas, quaecunque adhuc a medicis celeberrimis divulgatae sunt, quum perscrutemur et anquiramus, fieri non potest, quin miremur, quia experimenta huc pertinentia tam rara ac fere neglecta sint, quasi compressio sit remedium anceps et minoris momenti. Cujus tamen rei duae facile inveniuntur causae. Nam partim vetus medicinae periodus, orthodoxia quadam — ut ita dicam — excellens, non omnis exstincta est, qua si non jam a tota chirurgia, tamen ab omni apparatu mechanico medicus verus abhorrebat, quippe quo medicinae sublimis et paene incomprehensibilis rei auctoritas et dignitas omnino laederetur. Ubinam, inquit vetus ille medicus, manet illa reverentia aegroti in medicinam, ille horror divinus, qui haud parvi momenti in curatione valet, si mechanismus applicetur, qui legibus mere aut physicis aut chemicis perspicue intelligatur? Partim vero, quae quidem gravissima causa videtur esse, de compressione nullus existit liber, nullum scriptum, quo et omnes methodi aut apparatus, et omnes indicationes et sufficiens aetiologia hujus remedii contineantur. Quum igitur, quibusvis autecessoribus et plane omnibus literariis auxiliis deficientibus, metus in me incidat, ne pro meis viribus nimis magnum opus subeam, de compressione aliquid

appareat, de qua jam in colliquatione indurationum disseruimus, scilicet instimulatio resorptionis eorum, quae morbus produxerit: oedematis, ascitae, varicum. Totalis igitur mutatio processus morbosi! Pro priore exhalatione fit inhalatio, aut, quod idem, locus secretionis a statu abnormi ad normam redit, et per naturales secretiones productum morbosum ex corpore excernitur.

Omnibus supradictis morbis nihil inflammationis inest, intumescentiam frigidam praebent — quid igitur potest esse simplicius et naturalius quam in eos compressionem applicare? Etiamsi nihil aliud nisi mechanicum momentum ante oculos habeamus; quamobrem ad hos casus applicatio compressionis jam veteris medicinae inventio est. At saecula praeterlapsa sunt, priusquam compressio etiam in inflammationes traducta est. Quid enim ad naturam inflammationis videtur magis ineptum compressione, qua dolor duplicetur, irritatio augeatur, uno verbo, quodvis inflammationis symptoma ad fastigium incredibile intendatur? Nonne imperitissimus quisque, modo semel ad aegroti inflammatione quadam laborantis lectum aggressus, scit minimum organi affecti tactum paene intolerabilem esse, ne lodicis quidem lene pondus sustentari? Sane maximi ingenii fuit, haec praejudicia superare, reique naturam perspicere! Attamen hians illud, quod creditur, interstitium inter compressionis applicationem in morbis inflammatoriis et inter eam in morbis non inflammatoriis haud inexpletum videtur, quum principium, ex quo nunc applicatio antiphlogistica orta est, multis locis in therapia occurrat.

Nullas censeo fascias obligari et adhiberi posse, quin eaedem pressionem quandam in parte deligata exerceant: momentum quidem, quod certe non tanti, quanti merere videtur, aestimatum adhuc est. Effectus simplicissimae fasciae sine simultanea compressione partis involutae fieri non potest, quae eo major, quo magis compositus fasciarum apparatus, sicut hunc in fracturis ferulae, plagulae et aliae res

constituunt. Quod jam de fasciis sicce impositis valet, multo magis de iis, quae ante applicationem madefactae sunt: hae enim inter applicandum valde extenduntur, aeque ac corporis calore exsiccatae valde contrahuntur, itaque membrum firme circumcingunt. Majore gradu compressio observatur in fasciis, glutine quodam obtectis, quae semel siccae factae et contractae, intumescentiae membri obligati locum non praebent, itaque inflammationem progressuram reprimunt, quare Laennecii [1]) fracturas ligandi ratio ingeniosissima videtur, si modo, cautelis nonnullis reservatis adhibeatur, scilicet ita ut revulsis singulis fasciae polycephalicae taeniis locus fracturae inter stadium inflammatorium in dies clare inspiciatur. Similem effectum habent ferulae, quae in fracturis non modo nimiae musculorum contractioni obveniunt, atque ita retentioni praesunt, sed etiam satis magna pressione inflammationem moderantur. Quamobrem id, quod nunc saepe contra ferularum usum dicitur [2]), esse earum applicationem statim post fracturam factam praejudicii plenam semperque obnoxiam, haud plane aptum videtur, quamvis negari non possit, alios apparatus idem consilium magis idoneos curare. Vel majoris momenti compressio mihi videtur esse in methodo quadam paucos demum ante annos magis notata, dico illam ossa fracta gypso liquefacto superfundendi [3]). Gypsum enim aqua liquefactum maxime aequaliter membrum involvit, totamque ejus formam reddit, et exsiccans valde contrahitur, quod jam ex magno gypsi siccantis calore cognoscitur, ac facillime vel oculis concipitur. Sed haec gypsi utilitas, compressione producta, non apparet, si, quod a medicis frequenter exer-

---

[1]) Journal complément. du Diction. des Sciences méd. Tom. XX. Paris 1824. p. 196.

[2]) Abhandlungen aus dem Gebiete der prakt. Med. u. Chir. von Dr. A. Leop. Richter. Berlin 1832. p. 1 et 2.

[3]) Richter in eodem libro p. 1.

cetur, dimidia et inferior sola membri pars gypso velatur, ubi gypsum formatum nihil nisi solam retentionem efficit. Ignotum quidem mihi non est, hanc dimidiam methodum diligenter et caute adhiberi, ne medico mala loci affecti mutatio obtegatur, et ut medicamina quaedam commode applicentur: at in tota etiam involutione gypsea, quid facilius, quam secundum Arabum [1]) praecepta praeparationem facere, quae hisce consiliis aptissime satisfaciat? Huc porro pertinere videtur methodus, quam modo vulgo notam cognovi, vulnera haud gravia deligandi; quae locum vulneratum nec non satis magnum spatium sanum aut cute ranina madefacta, aut membrana illa tenui, quae testam calcariam ovorum avium interne obducit, obtegit: membranae exsiccantes valde contrahuntur et arctissime cuti humanae adhaerent, ita ut initio injucunda sentiatur compressio, quae vero injucunditas mox desinit, dum nullus calor inflammatorius apparet et vulnus per primam intentionem clauditur.

Hisce omnibus igitur in casibus involutionis et fasciarum compressoriarum clarissime ut princeps effectus elucet coërcitio aut moderatio nimiae inflammationis. Ad omnes enim fracturas et vulnera sananda certus inflammationis gradus necessarius est, qui tamen normam superare potest, quo primo sanationis stadio suppuratio gigni potest (nam et in fracturis sanatio per primam intentionem existit) et secundo stadio nimia granulatio oritur, quam quidem in ossibus callum vocamus. Haec inflammatio abnormiter aucta compressione reprimitur et cavetur: tamen verum est, audaciam quandam medico necessariam esse, qui hanc methodum consequenter adhibiturus sit, quum initio inflammationis signa ipsis fasciis adaucta et periculose increscere videantur, ubi tamen nihil perniciosius, quam timide fascias devellere, quo ipso demum periculum, quod medicus jam

---

1) Richter, eodem loco. p. 7.
London medical and physical Journal. Tom. LXI. p. 175.

praesens suspicatus est, certo provocatur. Sed hacce de re postea longius dicendi locum inveniam: ac quae supra dixi omnia omisissem, nisi credidissem, fieri posse, ut principia compressionis ut remedii in inflammationibus latissime in medicina practica versari, quo deficiente magnus chirurgiae defectus existeret, demonstraretur. Sed jam sermo transire potest ad novas illas inventiones, quibus inflammationes genuinae sola compressione reprimantur, et ad solutionem perfectam traducantur.

Schoenlein suis lectionibus, in universitate Berolinensi habitis, compressionem contra inflammationes se primum proposuisse affirmat. Experimentis Everardi Home de sanando hydrocephalo chronico compressione pedetentim aucta se dicit adductum esse, ut ipse experimenta institueret, quibus morbos mere inflammatorios pressione sanaret. Tum demum Recamier et Fricke ipsius observationes et proposita diligenter perpendisse, et plura et extensiora fecisse experimenta. Eo magis doleo, quod parva mea literaria adjumenta mihi nullam detexerunt viam, qua prima haec Schoenleinii proposita relegerem, aut citationes quasdam aliorum scriptorum de his primis invenirem, quum profecto mea maxime interesse necesse sit. Ev. Home igitur suis experimentis in hydrocephalo chronico primus fuit compressionis auctor, quamvis ipsi numquam in mentem venisse videatur, hancce methodum vel in inflammationes adhibitum iri. Quum vero haec Ev. Homii methodus tamquam basis sit omnium posteriorum, hic latius eam describere aggrediar, quamquam stricte huc non pertinet neque me fugit, hydrocephalum chronicum omnino non haberi morbum mere inflammatorium, qualis initio certe videtur esse, quamvis subinflammatorius et occultus, nam causa efficiens exsudationis nulla nisi inflammatio quaedam exstare potest, cujus et prima symptomata documenta sunt; atque ipso morbi initio observavit Home maximam utilitatem afferre compressiones, quibus omnis exsudatio vel praecaveatur,

quamquam etiam exsudatione jam praesente, ut resorptio fiat, haud parvum efficiunt. Home [1]) taenias emplastro neutrali obductas a fronte supra oculos incipiens ducit circulares circa caput verticem versus, ita ut quisque circulus inferius dimidium obtegat. Denique fornix capitis aliis emplastri taeniis anguste involvitur obliquis et transversis, quod ad consilium illa fasciam imponendi forma, quae mitra Hippocratis dicitur, commendatur. Attamen et alii apparatus propositi sunt Hydrocephalum comprimendi, optimumque habuerunt successum [2]). Aegroto compressione aliquid assuefacto involucrum aliquod angustius tenditur, donec tensione pedetentim aucta omnia morbi signa evanuerint. Supervacaneum videtur dicere, intra compressionis tempus semper curationem therapeuticam interne fieri. Hacce curandi methodo Home et alii medici, inter quos Engelmann et Barnard, optimos successus pararunt, etiam quum punctio compressioni praemissa esset secundum praecepta Dr. Conquestii. Numquam eventus omnino lugubris. Numquam compressio caute applicata quid nocuit. Summa successuum ita comparatorum primum Schoenleinium, secundum ipsius dicta, aliis in morbis, ut simile tentaret, adduxit, quem secuti sunt Fergusson, Recamier et Fricke. Horum virorum experimenta versantur in glandulis inflammatis, sed solum in orchitide et bubonibus, ac, si amicis confido, qui a Schoenleinio id dictum esse contendunt, in mastitide interna, cujus tamen equidem sponsor esse non possum. Prima [3]) experimenta instituta esse vi-

---

[1]) Schoenlein, Allg. u. spec. Path. u. Therap., von seinen Zuhörern. Tom. III. p. 158.

Schmidt, Encyclopädie der ges. Med. p. 513.

[2]) Dr. Loewenhardt, Caspers Wochenschrift. 1838. No. 37.

[3]) Chelius, Lehrb. der chir. Therap. und Copland, Encyclopädie der Med. Art. Bubonen. Schmidt, Encyclopädie der Medicin.

Fricke, Annalen des Hamburg. Krankenhauses. Bd. I.

dentur in glandulis inguinalibus inflammatis, ac quidem multis in scriptis Fergussonium inventorem hujus methodi appellatum invenio, quam inter multos alios optimo cum successu Fricke coluit et maxime eleganter tractavit Schoenlein. Neque minus dignae, quae perlegantur, sunt observationes a Ricord Parisiis factae. Ut transmittam, quae a variis scriptoribus minorum gentium hac de re dicta et proposita sunt, me ad virorum experientissimorum placita converto. Fergusson commendat plagulam aceto saturnino madefactam firme imponendam. Fricke plerumque utebatur offa lignea aut lapide quodam laevi, quos fascia supra obducta retinebat. Schoenlein proponit laminam parvam plumbicam adhibendam, quam diverso apparatu in bubone retineri et imprimi jubet. Alii aliam invenerunt methodum, sicut Fergussonii mutare medefactione plagulae spiritu vini diluto, aut ante laminam saturninam adhibitam bubonem pice obtegere voluerunt. Ricord fasciam hernialem, sed pauco modificatam capite buboni applicat, quum numquam sub capite bracherii pro hernia appositi bubonem exoriri viderit. Ipse me vidisse memini bubonem maxime inflammatum torculari quodam comprimi, ita ut instrumenti caput cochlea torquenda, cedentem bubonem insequens, brevi temporis spatio intermisso, magis adstringeretur, qua methodo post duos dies omnis intumescentia exstincta erat. Certe nulla alia methodo compressio tam aequaliter intumescentiam subsequens fieri potest quam cochlea quadam torquenda. At compressionem aequaliter et pedetentim increscentem omnes scriptores praescribunt. Ex methodis, ut ita dicam, officinalibus Schoenleinii breviter exponam, quae aliis longe simplicior et elegantior, itaque probabilior videtur esse. Schoenlein [1])

Ricord, pract. Abhandl. über die vener. Krankheiten von H. Mueller. 1838. p. 294. u. 297.

London Medical Gazette 1833.

[1]) Schoenlein. Tom. IV. p. 191.

ut jam supra dixi, utitur lamina plumbica tenui, quam linteo aequaliter involutam glandulaeque impositam fascia simplici comprimit. Initio modicam modo compressionem adhibendam esse, ob dolorem intra primas horas viginti quattuor acerbum, donec dolores mitigati essent, atque in dies fasciam magis adstringendam, quo facto faciliores casus post duos aut tres dies, graviores vero post sex aut septem dies ad integrum reducti essent. Simul quies in lecto obtinenda et diaeta antiphlogistica.

Quod ad orchitidem attinet compressione curandam [1]), Fricke primus innumerabilia fere instituit experimenta valde fausti successus. Frickio ubique successores et commendatores praestiterunt, quorum certe haud minimus Schoenlein. Fricke utitur ad compressionem taeniis emplastro neutrali et valde adhaesivo obductis, pollicem unum latis et accurate secundum textus filum sectis, unum cubitum longis. Aegrotus stat prae medico ad parietem proclivus aut in margine lecti appositus, ita ut scrotum libere dependeat. Chirurgus scrotum tangit manu altera testiculum aegrotum separans a sano, et altera manu cutem scrotalem aliquid sursum trahens, quo facto primo funiculus spermaticus supra testem pluribus emplastri circulis circumdetur, sed anguste, ne testis per annulum ita formatum possit perfugere, qui porro ipse a superiore ad inferiorem partem eadem ratione circulis involvitur, ita ut quisque inferior arcum superiorem obtegat dimidium, usque ad fundum testis, qui quidem circulis obduci non potest, quamobrem hic taeniae obliquae et transversae ponendae sunt, donec

---

[1]) Fricke, Bericht über die chirurg. Abth des allg. Krankenhauses in Hamburg. 1835.

Schoenlein. Tom. I. Orchitis.

Handbuch der spec. Pathol. und Therap. der akut. Krankheiten. Nach den Erfahrungen u. s. w. Berlin und Wien. 1840. p. 1075.

Schmidt's Encycl. 1842. Hodenentzündung.

omnis pars involuta sit. Utrique testes quum aegroti sint, alter modo supradicto comprimitur, alter taeniis emplastri ad primum apprimitur. Si aegroti cutis valde sensibilis est, qua ex re excoriationes, perspiratione retenta, fiunt, tum taeniae nonnullis locis incidendae et apertis aqua Goulardi instillanda est. Statim compressione facta aegrotus plerumque modicam sibi facere potest motionem. Initio dolores compressione augentur, sed jam post unam horam desinere incipiunt. Intumescentia evanescente, id quod jam uno aut duobus intermissis diebus fieri solet, involutio solvi potest, et duritie quadam adhuc restante, renovanda est. Alia remedia et interna necessaria non sunt, nisi complicationes adsint, contra quas singulare regimen est instituendum. Modificationes quasdam hujus methodi Frickianae existere mihi ignotum est.

In mastitidem internam, scilicet in inflammationem ipsius glandulae mammariae, compressionem simili modo adhibitam esse ut in orchitidem, ita ut prima emplastri taenia circa basin mammae ducatur, tum alii circuli subsequentes, alius aliud dimidium obtegens usque ad verticem, qui taeniis obliquis et transversis involvendus sit, ipse nusquam aut audivi aut legi. Tamen non est, quod impediat, quominus quis experimentum vel fecerit vel faciat, quod vero haud feliciter evenire puto; nam glandula mammaria est telae cellulosae valde tenuis strato satis crasso circumvoluta, quae pressione pseudoerysipelate, mastitide igitur externa affici facile possit. Sed jam satis de glandularum inflammatarum compressione.

Recentiore tempore Fricke, observationibus in glandulis nixus, compressionem in alias quoque inflammatas corporis humani partes, quibus facile fasciis adire possumus, adhibuit, scilicet in artus inflammatorie tumidos, genu, cubiti, manuum et pedum, inter quas affectiones et arthrocacarum genus numerandum est. Notum mihi quidem, jam prius, vel antiquis medicinae temporibus involutiones arti-

culorum ita affectorum stuppa et colophonio pulverato, quod spiritu vini dilutum quasi vernicem format, itaque artum imperspirabili involucro velat, exercuisse, sed partim haec methodus minus pressione quam perspiratione retenta, qua cutem irritet, et ita processum morbosum ab internis artuum partibus ad supernas traducat, effectum habet, partim Frickii methodus longe aliena est. Videtur Fricke primo ad talia experimenta adductus esse observationibus Scottii [1]), qui in coxalgiam eo stadio, quo in coxarthrocacen aut jam mutata aut demum mutanda sit, involutionem compressoriam proposuit, quae Frickio multis in casibus optimos praebuit successus. Attamen ipse Fricke haud parvam sanationis partem totali aegroti quieti debere concedit. Regio articuli, praecipit Scott, spongia, antea spiritu camphorato impraegnata, fricetur, tum membrum linteo circumvolvatur, quod longe supra et infra regionem artus prominet et cerato saponato, unguento Hydr. fort. cum camphora aa obductum est. Eadem dimensio artus taeniis callico, panni certi, involvatur emplastro plumbi Ph. L. obductis, quae taeniae ita dirigendae sint, ut omnem articuli commotionem impediant. Deinde ferulae quattuor membro supraponantur, fascia lanea conviciendae. Denique ferulae chartaceae imponantur. Scott apparatum renovat, si aut dolore acerbo recenter sanguinem detrahi necesse videatur, aut cutis irritatio desierit, id est quattuordecim diebus post. Sed ipse Scott praemonet, ne haec methodus adhibeatur, quamdiu adhuc activa restet inflammatio. Fricke Scottii praecepta videtur secutus esse, quamquam certi quid de Frickii methodo afferre non possum, quia scripta quaedam hac de re disserentia reperire et inspicere mihi non licuit.

---

[1]) Scott's chir. Beobachtungen über die Behandlung chron. Entzünd. in verschwärenden Gelenken. Aus dem Engl. Weimar 1829. Annalen der chirurg. Abtheil. des allg. Krankenhauses in Hamburg von J. C. G. Fricke. Tom. II. 1833.

Attamen dicitur in affectionibus inflammatoriis articulorum genu et cubiti, alia quadam involvendi ratione usus esse, quae non modo passivis sed etiam activis inflammationibus temperare et exstinguere suffecerit. Taenias enim emplastri infra artum incipiens, circulis dolabrae ascendentis similibus circumducere usque ad medium artum, tum vero superne incipiens dolabram descendentem ex emplastro usque ad conjunctionem cum taeniis inferioribus imponere solitus esse fertur. I. C. Jaeger et Brambilla maxime inflammatorum artuum compressionem ad exsudationem resorbendam commendant. Schmidt praecepit, ut membrum linteo largissime unguento Hydr. cin. uncto involvatur et hoc linteum taeniis emplastri adhaesivi satis latis ad modum dolabrae ascendentis arcte circumdetur. Neque dissimilis Ebersii [1]) methodus, qui emplastro jodato utitur, sed Schmidt et Ebers simul interna cura therapeutica externae suppeditant. Ipsi mihi paucos ante menses occasio se obtulit, puellam, cui, febri nervosa sanata, tumor albus subinflammatorius in genu relictus erat, secundum Ebersii methodum intra quinque hebdomades ab hoc tumore liberandi. Totum membrum lege artis fascia lanea a pede incipiens involvebam, quod biduo renovabam. Thecam circa artum semel renovavi. Huc mihi pertinere videtur, ostitidem emplastris compressoriis curare, quod aut secundum Ebersii aut Schmidtii methodum fieri potest. In clinico chirurgico auspiciis Dr. Angelsteinii versato mihi contigit, ut ad ossium inflammationes duas satis graves, utramque in digito, alteram viri, alteram pueri, curandas destinarer, quarum alteram emplastri de cicuta taeniis, alteram emplastri de cerussa taeniis compressi, quas compressiones quinquies renovavi, donec septem post hebdomades

---

[1]) Vereinszeitung. 1836. No. 40 u. 41.
Sobernheim, Handb. der prakt. Arzneimittellehre. 1841. p. 335.

uterque aegrotus sanatus fuerit. Eodem modo in eodem clinico emplastris compressoriis persaepe paedarthrocacen et spinam ventosam a Dr. Angelsteinio sanari vidi. At haec sufficiant de compressione directe ad locum inflammatum applicata, et jam quid de indirecta — ut ita dicam — compressione in inflammationibus disserere aggredior, scilicet de methodo, qua arteriis partem inflammatam nutrientibus compressis inflammatio extingui dicitur, de methodo igitur, quae rarissime adhuc tentata est.

Primum fieri potest, ut quis fasciam aut thecam Thedenii, pro arteria brachiali laesa, hocce compressionis quasi antiphlogisticae consilio fungi putet, qui tamen fallatur; nam Thedenii fascia secundum inventoris consilium nihil nisi impedimentum impetus sanguinis ad laesionem est, quamvis ipse maxime persuasum habeo, hoc consilio si satisfactum sit, simul noxiam inflammationem arceri, id quod ad supra dicta de vulneribus sub compressione sanandis pertinet. Alia tamen experimenta adsunt, quae hic magis alleganda sunt, dico compressionem aut etiam ligaturam (nam ligatura arteriarum nihil est, nisi compressio completa, quamobrem hoc loco de ligaturis dicere non modo licet, sed necesse est) arteriarum carotidum internarum in encephalitide et encephalomeningitide. Attamen maxime doleo, quod hisce de experimentis nec ipse quidquam vidi nec legi, quare modo afferre licet, successus bonos hujus operationis eosdemque certos notatos videri nullos. Compressio arteriarum fit in extremitatibus optime torculari, sed quamquam et eam in extremitatum inflammationibus exercitam esse haud nescio, non tamen habeo, quibus omnino confidendum sit. Nec aliud experimentum transmittam, quod simul aliquid de effectu ligaturae carotidum explicando valeat. Pro mania enim sananda Dr. Bird [1]) carotides internas ligan-

[1]) v. Graefe und v. Walthers Journal. B. 21. H. 2. Schmidts Jahrbücher. 1835. B. VI. p. 191.

das proponit et nonnullas hac de re observationes communicavit, quas tamen hic anquirendi locus esse non videtur, quum maniae caussae, quamvis dubiae, certe non inflammatoriae sint: irritationem quidem et statum congestivum cerebri negare non possum. Caeterum ad auctoris ingeniosas et accuratas disquisitiones mihi remittendum est. Ut aliam observationem hic allegem, de qua aeque dubitari potest, num huc pertineat, nec ne, tangam modo Lisfranci [1]) observationem unam, ex qua ligatura membro gangraenoso anguste applicata gangraenam impedivit, quominus longius procederet. Quod si verum, res maximi momenti est, cujus probatio medico practico sane miram utilitatem afferat. Gangraenae vero semper inflammatio quaedam sive sthenica sive asthenica praecedit, ita ut Lisfranc ligatura etiam inflammationem progredientem vinxisset. Simili circulari ligatura vel alias inflammationes vinciri oportere propositum esse satis notum est, sufficiat attulisse experimenta hac ligatura erysipelas fugax tamquam figere, quae Ill. Wolffium saepe se instituisse, haud raro optimo cum successu, affirmare audivi. Viam, quam erysipelas iturum conjecit, ligatura clausit, neque unquam, modo ligatura satis arcte tensa, eam transiluit erysipelas. Ab eodem Ill. viro saepius extremitates ligatura circulari comprimendas curari vidi in cordis quibusdam inflammatoriis morbis, certe cum magna aegrotorum sublevatione, quorum acerbissimae oppressiones, suffocationem jam minitantes, valde frangebantur, id quod idem in pneumonia, tamen stadio modo tertio, ligaturis extremitatum circularibus, feliciter saepe consecutus est. Hoc loco si non dubitarem paradoxon defendere, nullum vegetationis processum sine inflammatione existere, mihi de ligaturis arteriarum nutrientium in pseudorganisationes adhibitis dicendum esset, sed ad nova pro-

---

1) Gazette médicale de Paris. No. 36. 1834.
Schmidts Jahrbücher. 1835. B. VI. p. 141.

gredior. Forsan quis opinetur, meum jam esse, aliquid de nervorum compressione aut ligatura disserere, quae a nonnullis scriptoribus ut remedium in inflammationibus proponebantur; at nullae hac de re observationes exstant, nisi morbos neuralgicos habeam inflammatorios, quippe in quibus pressio nervi magnum aegroto paret levamen, quod idem de ligatura et de discisione nervi affecti valet. At neuralgiae omnino non sunt inflammationes; mihi tamen jam remittendum est ad novissimum hujus rei scriptorem Schmidtium [1]), qui haud ineleganter idemque sagacissime de hac materia disseruit. Quid dicam de ligatura extremitatum in hysteria et epilepsia tentata, quorum morborum paroxysmus hoc remedio valde diminui constat? Quid inflammationis inest hisce morbis? Ac quam auxilii partem, ligatura extremitatum applicata, vasorum, quam nervorum compressioni tribuam? Quaestiones profecto haud leves, quas tamen hic acquirendi locus caret. Porro, eadem compressione extremitatum per ligaturas febrium intermittentium stadium frigoris non modo valde diminuitur, sed etiam omnino praecaveri potest [2]). Quam praeclara observatio, et argumentationum uber, scilicet in gratiam asseclarum istius scholae recentioris, quae febrem intermittentem vocat, gastroenteritidem intermittentem! Stokes loco citato offert miram observationem, hydrophobiae paroxysmum ligatura supra locum morsum obligata nunc desinentem, nunc soluta redeuntem, quam tamen eandem rationem, ut in neuralgiis, in hysteria, in epilepsia et in febri intermittente sequenti mihi hoc loco latius auscultare non licet. Caeterum quidem censeo, omnes quas supra dixi observationes in natura morborum pertinentium explicanda vel plurimum

---

[1]) C. Schmidt, de Hyperaesthesia cutanea. Diss. inaug. Berol. 1842.

[2]) W. Stokes, Vorlesungen über die Heilung der innern Krankheiten. A. d. Engl. von Behrend. 1839. p. 250.

valere, nisi in medicina omnino neglectum esse videretur, ab effectu remedii aut fortuito aut experimentis approbati de natura morbi, quem sanaverit, argumentari, quae conjiciendi et concludendi methodus pathologiae haud paucas de natura morborum daret explicationes.

Nunc jam omnes compressionis in inflammationibus rationes me exposuisse crederem, nisi una adhuc exstaret, quae fere ignota medicis videatur, nam hac causa deficiente satis mirum esset, quomodo factum sit, ut remedium, quod, si ad omnes partes perscrutemur, novam medicinae practicae aeram constituere valeat, non modo non approbationem, sed ne probationem quidem sibi comparaverit. Dico observationes ab Junodio Parisiis octo nunc ante annos factas. Dr. V. T. Junod [1]), in itineribus saepe in altos montes ascendere consuetus et effectus pressionis aëris in organismum humanum admiratus, diligentissime hac de re egit et ingeniosissimas fecit inventiones. Apparatum cupreum forma sphaeroidali struendum curavit, qui hermetice claudi, hominemque experimento exponendum excipere potest. Fistula cum antlia aëris communicavit, nec non cum thermometro et barometro. Denique epistomio quodam aër inclusus, si necesse videatur, renovari potest. Ad eandem rationem alios apparatus formae cylindricae ad extremitates excipiendas construxit aut ex cupro aut ex crystallo, quod pellucidum optime effectum oculis adspici sinit. Artifex mechanico-chirurgicus Charrière Parisiis tales apparatus construit. Quattuor observationes in morbis acutis describit auctor, ubi apparatus aut ad totum corpus aut ad solas extremitates applicatus successum mirum quantum nactus est. Junod aëris condensationi extenuationem asserit. Nonne res omnino differentes vel contrariae? Imo! Tantum enim abest, ut aëris condensati et aëris tenuioris red-

---

[1]) Revue méd. Sept. 1834.
Schmidts Jahrbücher. 1835. B. VI. p. 129.

diti rationes efficiendi sibi obstent, ut plane eaedem videantur. Aëre super quandam corporis partem extenuato, omnis sanguis ad eam affluit, reliquo corpore exsangui. Aëre super quandam corporis partem condensato, omnis sanguis eam relinquit et ad reliquum corpus redundat. Nonne igitur, quod ad totum spectat corpus, hic et illic idem effectus, ut altera corporis parte exsangui, altera sanguine impleatur? Hic enim et illic aequabilitas aëris totum corpus normaliter prementis suspensa est, quare natura aequipondium compensare studet. Alterius partis abnormis oppressio, alterius partis abnormi libertate compensatur, et illius abnormis libertas, hujus abnormem oppressionem exposcit. Itaque aëre quum tenuiore reddito tum condensato compressio existit, hic directa, illic indirecta. Quamvis intelligam, Iunodianam methodum nullo modo ubique posse applicari ob magnam apparatus difficultatem et latitudinem, quae aegroto terrorem injiciunt, omnemque applicationem in praxi privata prohibent, non tamen video, quid sit, quod impediat, quominus in nosocomiis latiora experimenta instituantur. Caeterum Iunodianas compressiones directam et indirectam, quamvis quod attinet ad effectum non sejungam, sejungam quod ad indicationes, sub quibus utraque utenda sit.

Mechanismi compressionis antiphlogisticae ita ratione habita, jam ad aetiologiam hujus remedii perscrutandam aggrediar.

Nusquam ullo in scriptore, qui compressiones pro certo morbo commendet, quidquam de proprio et peculiari effectus modo dictum invenio, nam quod ubique dictitatur, sanguinis circulationem in parte compressa diminui, haud sufficere debere videtur. Alia momenta in compressionis actu perpendenda sunt, quae ut breviter exponam veniam rogo.

Simplicissimam rationem, secundum quam effectum progignit, sequitur sine dubio ligatura vasorum, quae non modo

in vase ligato ejusque ramificationibus, sed quoque in vasis alius systematis ab illo sanguinem excipere consuetis circulationem diminuit, non tamen, excepto ipso vase ligato, exstinguit ob multas omnibus in vasorum systematibus anastomoses. Quod si verum, trunco arterioso ligato organi nutriti collapsus quidem, non tamen atrophia producitur, quod idem de inflammatione organi valet, quae ex eodem sanguine nutrimentum capiat. Easdem sequelas etiam compressionem trunci arteriae habere necesse est. Longe alienum effectum ligatura circa extremitates applicata praebet, quae minus arterias, vasa profundiora, sed potius venas, vasa superficialia tangit comprimitque, itaque undam sanguinis ad cor refluentem diminuit. Quum enim in venis valvulae haud deficiant, sanguis sursum ascensurus et ligatura impeditus prohibetur, quominus deorsum refluat, venasque profundiores appetat, quo facto haec sanguinis quantitas ita retenta de circulatione separatur, quae igitur minus plena reddita est. Attamen facile intelligi potest, hanc retentionem per ligaturam horae stadium superare non debere, quum infra ligaturam libentissime oedema consequatur. Ast aliud momentum in ligaturis applicatis dignum videtur, quod non omittatur, dico compressionis actionem in nervos. Nam trunco extremitatis arterioso aut per plagulas (ut in Thedenii apparatu) aut per torcular compresso, fieri non potest, quin simul truncus nervi extremitatis, arteriam comitans, comprimatur, quo facto sensibilitas centripetalis infra ligaturam inhibetur, id quod ante amputationem instituendam per torcular nonnullis jam horis ante applicatum diligenter procuratur: membrum quasi indormit neque claram obtinet sensibilitatem. Mihi vero maxime persuasum est, quod a physiologis haud negatur, nervos in inflammatione vel plurimum valere, ne dicam ei praeesse. At compressio, quae nervorum actionem inhibeat, nonne eadem inflammationem quoque perturbet? Hic utilitas ligaturae in erysipelate fugaci non praetereunda videtur, minimis nervorum ansis fina-

libus simul cum vasis capillaribus compressis. Certe enim erysipelas affectionem inflammatoriam nervorum periphericorum credo, id quod tamen longius hic defendere mihi non licet. Neque alienam rationem secuta Lisfranci ligatura membrorum gangraenosorum effectum habuit, quamquam praeterea ligatura impedivit, quominus emphysema gangraenosum in neurilemate se infiltraturum et ascensurum procederet et superiores partes inficeret. Jam relinquamus methodos, quae compressionem non ad ipsam inflammationis sedem dirigunt, et nos convertamus ad compressionem per fascias, taenias emplastri, alios apparatus factam, cujus effectus organum affectum ipsum tangit. Hic tamen unum momentum, quod multis in apparatibus accedit, recensere non possum, quum ad effectum antiphlogisticum non pertineat, contra ei obnoxium videtur, dico perspirationem retentam. Organi fasciis involuti volumen minus redditur, temperies diminuitur, vasorum lumina collabuntur, sensibilitas hebescit. Quanta antiphlogoseos momenta, quae tamen tam parvi aut potius nihili aestimata videntur! Ubinam sunt, qui haecce in fracturis aut vulneribus curandis perpendant? Repeto involutione membri totali (per fascias, per gypsum etc.) vitam ejusdem vegetativam valde deprimi. An hoc momentum non antiphlogisticum, quum inflammatio nihil sit, nisi nimia vegetatio. Qui compressionis effectus optime in orchitide et in bubonibus apparet, ubi nullus vasorum, nullus nervorum truncus comprimitur, comprimuntur vasa capillaria et ansae finales nervorum, ac foco inflammationis ita affecto, ignis jamjam acerbissime ardens statim exstinguitur: jam nullus ardor, jam nullus dolor, nulla intumescentia! Hoc loco non possum quum rationem opinionis habeam, compressione inflammationem increscere, quae opinio eo nititur, quod compressione ad quodvis organum applicata, statim dolores et intumescentia adaugentur. Sane hic est primus, sed momentarius compressionis effectus, qui mox desinit, aliique cedit. Sed permultum pec-

catur, quum timide, dolore crescente, apparatus dejiciatur, nam hac ratione adhibita compressio nihil fecit nisi novam irritationem, otioque caruit, donec irritatio sedationi cesserit. Unde tamen hi duo contrarii effectus ejusdem causae? Gravis interrogatio, cui modo hypothesi respondere possum. Inesse enim etiam organismo vim quandam illius similem, quam Newtonius vim inertiae aut perseverantiae vocavit, qua impulsus semel factus eandem semper persequatur viam, donec alia et majore vi adstrictus sit, tum violenter vincula frangere studet, quoad vi exhausta redundatio incipit et conversio ad contrariam partem. Ecce et inflammationis ratio. Finibus positis, scilicet compressione applicata, morbus per momenta longius in via consueta procedit, vel majore energia, quia vincula jam sentit. Hinc illud doloris et intumescentiae incrementum. Denique compressione urgente inflammatio recedit. Eandem rationem compressio mihi videtur sequi, quum exsudationes sive in tumoribus sive in hydropicis morbis resorbendas curet: vegetationis cursum transmutat, convertit. Sed spero fore, ut mox alio loco hanc sententiam uberius exponam.

Restat adhuc, ut de Junodianae methodi aetiologia disseramus, quae una ab parte forsan facilius perspiciatur, quum de cucurbitulis siccis quid praemoneam, quippe quae non nisi aërem tenuiorem reddendo effectum habeant. Applicatio earum indicatur: 1) ut certa cutis pars irritetur et sanguis alliciatur, itaque in exanthematibus oppressis, in ulceribus repente ex internis causis exsiccatis, in partibus atrophicis, in mammis ad lactis secretionem augendam; 2) ut sanguis ab organis internis deducatur, itaque in morbis et acutis et chronicis abdominis et thoracis; 3) ut veneni resorptio in vulneribus venenatis prohibeatur. His, quae omnibus notissima sunt, praemissis, Junodii observationibus quasi fundamentum me struxisse puto. Aëre super corpus humanum condensato, sequentia apparent phaenomena: 1) Quum dimidia parte normalis pressio atmosphaerica in corpus huma-

num apparatu inclusum augeatur, membrana tympana in aurem internam repressa oppressionem satis incommodam sentit, quae tamen, quo magis pedetentim aequabilitas restituatur, sensim desinit. Respiratio maxime sublevata. Pulmonum capacitas adaugeri videtur; inspirationes longae, plenae, rariores; quindecim minutis praeterlapsis interno in thorace jucunda sentitur temperies, quasi vesiculae pulmonales, jamdiu ab aëre non satis tactae, recenter ad aërem excipiendum dilatentur, atque organismus quaque inspiratione nova vitali vi impleatur. Aëris condensatione circulatio sanguinis valde modificari videtur. Pulsus subfrequens, plenus, durus. Lumina vasorum superficialium venosorum collapsa, interdum etiam omnino evanescunt, quo facto sanguis cor versus profundis in vasis affluit. Lumina superficialium vasorum quum aëris condensatione contrahantur, idem aeque in pulmonibus fieri necesse est. Itaque compressione atmosphaerica adaucta copia sanguinis venosi a pulmonibus excepti diminuitur, quae causa sine dubio est, cur quaque inspiratione major aëris copia quam sub aëre normaliter denso inspiretur. Una cum crescente aëris densitate quum venosorum vasorum lumina collabantur, sanguinis major copia quum in systema arteriosum tum in centralia organa nervosa adduci necesse est, quo facto cerebri functiones exagitantur, phantasia viget, cogitationes proprie excitantur, et sunt etiam, qui ebrietatis symptomata prae se ferant. Musculorum actiones sunt secundum eundem modum leviores et magis securae. Tractus intestinalis functiones vivaciores, sitis nulla. Glandulae salivales copiose secernunt aeque ac renes et omnis glandularum apparatus. 2) Aëre super totum corpus tenuiore reddito Junod haec observavit: si quadrante normalis pressio levatur, membrana tympana extenditur, id quod ad modum compressionis sentitur: respiratio inexpedita, inspirationes breves frequentesque; quindecim aut viginti minutis praeterlapsis hancce respirationem molestam insequitur dyspnoea. Pulsus plenus, frequens, mollis. Omnia vasa super-

ficialia perspicue turgescunt. Palpebrae labiaque hoc turgore referta. Satis frequentes haemorrhagiae et inclinatio ad syncopen observantur. Calor incommodus, paene mordax, in cute, cujus functiones stimulatae. Haematosis parum activa. Major minorve gasorum tensio cum sanguine circulantium. Abundantia sanguinis in vasis superficialibus actiones nervosas satis parvas reddit: itaque energia hebescens vel totalis apathia. Renes glandulaeque salivales minus secernunt. Quae observationes magis perspicuae apparent, quum alternatim condensatio et extenuatio aëris adhibeatur. Porro Junod exponit observationes compressione ad extremitates modo applicata factas. Dimidia parte aëris pondus si augetur, cutis pallet, venae superficiales collabuntur, membrorum volumen diminuitur et circulatio in majore minoreve parte omnino opprimi potest. Extremitas compressa valde sublevata sentitur, ejusque motus leviores et magis securi. Compressione per aquam frigidam effecta, iidem effectus, sed magis perspicui animadvertuntur. Compressione ad alteram extremitatem inferiorem applicata, observantur vertigo, tinnitus aurium, photopsiae, inclinatio ad apoplexiam. Functio organorum respirationis haud expedita. Qui tamen effectus alteram super extremitatem aëre tenuiore reddito exaequantur. Si solis in extremitatibus aëris tensio nona parte diminuitur, cutis extenditur et rubescit, nonnullis minutis post membri volumen crescit, simul magno sanguinis affluxu abnormis calor. Functiones cutis exaggerantur. Copiosa transpiratio: fluida excreta gasorum formam habentia in parietibus apparatus cylindrici condensantur. Operatione peracta in extremitate tentata levis quasi sopor sentitur, qui mox evanescit. Aëre super extremitates extenuato, caput liberius et levius redditur, facies pallet, pulsus rami frontalis a. temp. lentior, filiformis, interdum evanescens, denique inclinatio ad syncopen. Respiratio expeditior. Tubi intestinalis functiones lentescunt, interdum taedium et vomituritiones. In fine operationis transpiratio, in cylindris coepta, totius corporis existit,

qui omnes effectus simultanea alterius extremitatis compressione desinunt. Haec ipsius Junodii verba, quibus aliquid addere nescio. Quanta ubertate diligentiae, ingenii, successus turgent experimenta!

Aetiologia vel ratione, secundum quam compressiones organismum afficiunt, jam exposita, ejusdem remedii in inflammationibus indicationes, morbos igitur, morborum conditiones, quae applicationem indicent, enumerare ingrediar, quod jam brevius disserere liceat, quum multa, huc pertinentia, in methodis et aetiologia tractandis satis longe explanata videantur esse. Quod consilium persequi libet, sententias hacce de re a viris medicis, variis occasionibus oblatis, dictas colligendo. Schoenleinii unius dicta afferre possum de omni compressionis methodo applicanda; attamen modo compressionis per fascias, fasciarumque similes apparatus rationem habet. Docet Jll. Vir, methodum compressoriam modo adhiberi posse, si organum inflammatum firmum quoddam habeat fundamentum, aut si idem ita seperatim suspensum sit, ut per emplastri taenias, circumductas omni ex latere aequalis compressio exerceri possit. Porro organum modo minoris voluminis esse necesse esse, et inflammationem chronicam, aut si acuta sit, locali sanguinis missione momentariam vasorum depletionem fieri posse, priusquam compressio applicetur, quare hanc methodum maxime commendandam in syphiliticis, rheumaticis et scrophulosis inflammationibus glandularum inguinalium et testiculorum, nec non in chronicis inflammationibus artuum. Hancce rationem secutus dicit Schoenlein de therapia bubonum scrophulosorum: „Ubi fieri potest, compressio adhibenda est ad solutionem efficiendam, nec non ad praecavendum, ne materies scrophulosa accumuletur. Ubi glandulae sedes compressionis applicationem prohibet, solutio raro efficitur.“ Idem auctor de paedarthrocace: „Inflammatione hirudinibus applicatis et cataplasmatibus de cicuta aut de lini seminibus factis, et dolore evanescente, emplastro balsamico membrum comprimendum est: quum compressionem per laminas plumbicas plerumque aegroti aegre

terant.“ Alio loco experientissimus auctor longius de therapia compressiva in bubonibus syphiliticis agit: Bubones ad solutionem ducendi sunt, ait, quam ad acquirendam compressione utendum, quae hic eo facilius locum invenit, quum bubonum syphiliticorum sedes plerumque super os femoris fundatae sint, in quod compressio optime dirigi potest. Solum quum inflammatoria signa praepolleant, intumescentia larga amplaque, rubor caeruleus, dolor acerbissimus, pungens, nec symptomata febrilia desint, necesse est antea regimen antiphlogisticum institui; febri praesente etiam parca venaesectio, tum laxans drasticum, denique compressio applicanda, quae aut suppurationem cito, saepe jam diebus paucis post, provocat, aut cui contingit, ut pus jam formatum rursus resorbeatur. Etiam si suppuratio formetur, compressio tamen efficit, ut bubo vesicae pure impletae instar appareat, et praecavetur, ne sicut solo calore applicato, pus lentius formetur, ne partes vicinae remaneant durae, ne, pure emisso, durities relinquatur, nulla granulatio producatur, sed fiat ulcus margine calloso. Pure per satis latam incisionem emisso, compressio statim denuo applicanda, qua saepe post paucos dies sana cutis cum fundo abscessus concrescit, itaque abscessus omnino clauditur.“ Ricord de bubonibus sanandis: Quaecunque est bubonis sedes, inquit, et quantumvis profunda, constat tamen, bubone prodeunte ubi nihil nisi levis telae cellulosae tensio existat, quietem compressioni methodicae, quam maxime validam esse necesse est nec tamen acerbam, conjunctam plerumque morbum orientem reprimere, imprimis ulcere syphilitico non antecesso.

Fricke [1]) compressionem maxime in orchitidem expertus haec praecipit: Compressionem in omni testiculorum intumescentia inflammatoria applicari posse, nec causam specificam nec gradum inflammationis praebere differentias. So-

---

[1]) Dieffenbach, Fricke und Oppenheim, Zeitschrift für die ges. Med. Bd. I. Hamb. 1836. p. 29.

lam valetudinem universalem aegrotam esse contraindicationem. Nam si orchitis diaeteticis excessibus, praesertim spirituosorum abusu, exorta sit, aut simultaneae molestiae gastricae coinciderint, has extingui necesse esse, antequam compressio adhibeatur, qua cautela neglecta nullum successum contingere. Funiculi spermatici intumescentiam, quae haud gravis sit, neque ad annulum abdominalem usque fuerit porrecta, contraindicationem non esse, aeque ac complicationes in connexu quodam cum orchitide versantes, scilicet bubones et ulcera syphilitica. Haec ulcera, inquit Fricke, compressione testiculi nullo modo ad pejus mutabantur, contra persaepe gratior eorum decursus observabatur, dum aeger vicinarum partium habitus, morbo testis et funiculi spermatici productus, citius evanuerit. Quum orchitide status febrilis universalis provocatus esset, compressio, reactione vasorum deficiente, optimum fuit remedium, quo febris exstingueretur. Rubor vel saturatus et obtusus scroti, ejusque satis magnum volumen compressionem haud vetat, nisi alia signa adsint, quae gravem scroti inflammationem indicent; nec ulcera scroti superficialia, neque erosiones, neque excoriationes. Irritationibus gastricis accedentibus, quod tamen raro fit, compressio celeriter removenda. Tutissimum successus signum est celeris dolorum cessio, quae si per plures horas exspectanda, morbi cujusdam universalis symptoma. At in orchitide traumatica, vel ex conquassatione exorta, nullum efficacius remedium compressione. Ricord [1]) quamvis funiculi spermatici intumescentiam contraindicationem compressionis existimat, quum plerumque rem male cedere se observasse contendat, quod Hacker comprobat. Porro idem Ricord compressionem noxiam putat, inflammatione activa et gravi praesente, et dicit, compressiones nullam afferre utilitatem, larga exsudatione in tunicam vaginalem praesente, quum fluidum colle-

[1]) Schmidt, Encycl. d. Med. art. Hodenentz. v. Hacker.

ctum compressionis effectum valde diminuat. Attamen doctissimus Vir immemor fuisse videtur, omnibus in morbis hydropicis ipsam compressionem vel maxime sanationem adjuvare, qua de causa non video, quid sit, quod impediat, ne in orchitide compressio una cum hydrocele et inflammationem dissólvat et resorbeat. Hacker Ricordii sententias multas sequitur.

Complures morbos adhuc exstare, qui compressionem indicent, haud celo, attamen jam supra nominatim eos enumeravi, neque habeo, quid hic novi et apti supra dictis addam, ita ut indicationibus morborum jam suffecisse videar, et solum reliquum sit aliquid de indicationibus ipsius remedii dicere, quae certe eaedem sunt, quas Fricke sola de orchitidis compressione proclamare non dubitavit, scilicet 1) celeris et secura dolorum oppressio, 2) celeris et secura ipsius morbi solutio, 3) simplex apparatus ejusque applicatio et minimae aegroti molestiae, 4) minimae impensae, 5) apparatu applicato valde medica aegroti cura et cautio. Quam gravia momenta medico practico, quum alias, tum potissimum in nosocomiis et in medicina castrensi!

Quod ad ligaturam aut compressionem vasorum ut remedium in inflammationibus, nimis paucae observationes notatae sunt, quas sequi liceat: nullam tamen attulisse videntur utilitatem, nisi in stadio irritationis et congestionis. Ligatura membrorum a stadio synochico inflammationis cujusdam organi thoracici forsan indicetur, sed de ligaturis quoque jam latius supra disserui.

Num hic aliquid de Junodiana methodo dicam? An omnes morbos et acutos et chronicos, qui ejus applicationem indicent, enumerem? Numquam ad finem perveniam, nisi tota fere pathologia exhausta. An solum inflammatorios nominem? Sed ab omnibus indicatur! An medicamina dicam antiphlogistica, quae adaequat effectu? Sed omnium locos tenere valet! Quaenam gravior indicatio antiphlogistica derivatione? Ac quid magis derivat quam Junodiana

methodus? Nihil citius et tutius inflammationem frangit quam frigus! Sed ubinam frigus majus, quam quod Junod per aquam compressam efficit? Sane! verum certe est, quod Junod contendit, per commutatam aëris tensionem derivationem mechanicam effici, quam medicamenta therapeutica, in organorum physiologia fundata, sibi comparare omnino non valeant, quare nunc quidem, aliis observationibus adhuc deficientibus eae potissimum inflammationes internae et congestiones inflammatoriae, ubi jam collapsus virium et anaemia quaedam sanguinis missionem vetent, aërem tenuiorem reddi videntur indicare, contra cutis laesiones valde extensae, sicut ambustiones amplissimae, applicationem localem aëris condensati. Caeterum maxime persuasum habeo, fore ut methodus Junodiana, modo si semel a medicis in usum vocata sit, magis magisque approbata, mox inter remedia antiphlogistica locum, quo dignissima est, summum obtineat.

Vita.

Guilelmus Aemilius Eugenius Philippus Stein, confessioni evangelicae addictus, Miloviae, vico provinciae Saxonicae natus sum die XIII mensis Novembris a. MDCCCXIX, patre Friderico Philippo Joanne Stein, medicinae doctore et medico practico, quem ante quattuordecim annos jam defunctum lugeo, ac matre Aemilia e gente Franco-Gallica Sannier, quam vivam adhuc mihi Deus servavit benignus.

Primis literarum elementis magistris privatis imbutus, gymnasium Berolinense Leucophaeum frequentavi, quod tunc rectore Celeberrimo Koepke, jam beato, dein ejus successore humanissimo Ribbeck florebat. Maturitatis testimonio instructus a MDCCCXXXVIII in civium instituti regii Friderico-Guilelmiani numerum receptus sum, ubi hisce scholis interfui: Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, Ill. Mitscherlich de chemia, Ill. Schlemm de osteologia et de splanchnologia, Ill. Mueller de anatomice speciali et de organis sensuum, Cel. Turte de physice. Nec non repetitionibus aliisque exercitationibus literariis regii instituti fructus sum. Attamen petii, uno semestri praeterlapso, almam universitatem Berolinensem, et testimonio ab instituto regio humanissime mihi dato, mense Majo a. MDCCCXXXIX civis academicus in manus Ill. Mueller, t. t. Rectoris Magnifici, juravi et ab Ill. Schultz, t. t. gratiosi medicorum ordinis decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus, per annum hasce audivi lectiones: Ill. Mueller anatomiam comparatam, physiologiam specialem et physiologiam generationis, Ill. Kunth botanicen, Ill. Mitscherlich zoochemiam, Beati Meyen geographiam plantarum, Cel. Michelet historiam systematum philosophiae recentium, Ill. Erman II nauticen, Ill. Ohm doctrinam aequationum superioris gradus, Ill. Horn morbos syphiliticos, Cel. Ideler morbos animi, Ill. Schlemm syndesmologiam, Cel. Werder logicen et metaphysicen, Cel. Isensee elementa anthropologiae et psychologiae. Dein Regimontanam adii universitatem, Rectore Magnifico Ill. Sachs et Decano spectabili gratiosi medicorum ordinis Ill. Burdach I, ubi hasce lectiones frequentavi: Ill. Burdach I physiologiam generalem et specialem,

historiam medicinae et anthropologiam, Ill. Rosenkranz psychologiam et philosophiam practicam, Ill. Rathke morphologiam et hominum et animalium et exercitationes zootomicas, Cel. Grube exercitationes microscopicas, mineralogiam et zoologiam, Ill. Burdach II. artem cadavera rite secandi, Ill. Sachs pathologiam specialem, Ill. Seerig clinicen chirurgicam. Anno praeterito Berolinum reversus, a t. t. R. M. Ill. Lichtenstein numero civium academicorum iterum adscriptus, atque a t. t. Decano maxime spectabili gratiosi ordinis medici Beato Osann medicinae studiosis assignatus, hisce lectionibus per tria semestria interfui: Ill. Juengken de chirurgia generali et speciali, Cel. Mitscherlich de materia medica, Ill Schönlein de pathologia et therapia speciali, Ill. Mueller de anatomia pathologica, Beati Osann de vita periculis in repentinis servanda, Ill. Horn de animi morbis, Ill. Casper de medicina forensi, Ill. Kluge de arte obstetricia quam theoretica tam practica, Cel. Romberg de propaedeutice clinica, Cel. Isensee de morbis cutaneis. Nec non exercitationes clinicas Ill. Juengken, Cel. Wolff, Ill. Dieffenbach, et policlinicas Cel. Angelstein iterum atque iterum frequentavi, neque cursui operationum ophthalmiatricarum Cel. Angelstein defui. Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quas possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero quadriennio absoluto, et tentaminibus tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses.

1. Nullum esse processum plasticum sine inflammatione.
2. Nullum remedium specificum existere.
3. Non medicinam, sed medicum mederi.
4. Suturae siccae applicationem, ubi fieri possit, omnino praeferendam esse suturae sanguineae.